

GALEA JUSTITIAE.
FERDINANDVS TERTIVS
Romanorum, Hungarorum & Boëmorum
coronatus Rex.

Anagramma.

Dux ornans Fortem, re Marti durus acerbo,
Matureo Regnum munit honore suo.

Horridus innumeris armis Mars Regna Potentum
Invasit, Fortis, vi violavit opes.

Re nullâ nullus fuit illi durus, honore

Nemo suo valuit Regna fovere satis.

Hoc factum diri noscunt Mavortis iniquum
Cultores equi, Justitiæq; Chorus.

Consilium capiunt, medijs quibus illius arma

Sint removenda, quibus Regna regenda modis.

Hac dum scrutantur Mentis ratione sagacis,

Sic Astræa Viris est ibi visa loqui.

Dux ornans Fortem, re Marti durus acerbo,
Matureo Regnum munit honore suo.

Verba Deæ capiunt, sed eorum teçta requirunt

Sensa Viri, cupiunt nomina scire Ducis.

Advolat Interpres Divûm, secretaq; Dicti

Clarius his verbis explicat ille suis.

Fortis Erit Regni Dux, Imperiumq; Novabit

Archiducis Nati Dexteræ Viva Sacrum.

Astræa dicti, clarus Chorus ille Virorum

Sensum (Mercurio sic referente) capit.

Esse Ducem, durum Marti, munirèq; Regna

Fernandum, Fortes imò fovere videt.

Hinc exclamat io! regnet Fernandus ovetq;

Vivat io! vivat, vivat in orbe diu.

CLYPEVS